RUPERTUS TUITIENSIS
Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 112v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25999
Copyright: Admont, Benediktinerstift



apriente A

PERIENTE. .1.

xpo cuius in hoc ope mysteria querimus. iam nunc
danielis uolumen introspicimus. & quamuis suscep
tum cursum maturius finire optemus. hanc tamen
scripture partem intactam preterire non sustinemus. Gran
di enim intus spectaculo detinemur. Quod est illud specta
culum. Imaginaria regni dei contra regnum diaboli
monomachia. per egrinantibus in hoc mundo. capti
uis sub iugo babylonio pro consolatione ciuibus regni
dei septiformiter ostensa. Prima est forma. qua statu
.i. am magnam atque terribilem nimis lapis unicus de monte promicans sine
.ii. manibus confringit atque comminuit. Secunda. qua missos a rege tres pueros
in fornacem ardentem non tangit neque contristat ignis. & aspectus quarti simili
.iii. tudo est filii dei. Tercia. qua rex magnus atque robustus magne babylonis sue
quam edificasse mirator uoce de celo ruente dementatus ex hominibus
eiectus est. & fenum ut bos comedit. atque ab hoc experimento confiteri compul
sus est quia altissimus in sempiternum uiuit. & regnum eius in generationem
& generationem. & non est qui resistat manui eius. & dicat ei quare fecisti.
.iiii. Quarta qua babylonis ipsum regnum a rege deo uictum est. datumque medis
& persis. interfecto balthasar chaldeo. cui & darius medus successit. Quinta
.v. qua orator dei calumpniosos rogatores regis hominis mortalis uicit.
& misit inquit deus meus angelum & conclusit ora leonum. & non nocuerunt mihi.
quia coram eo iusticia inuenta est in me. Quod pronuntians rex. deus inquit
danielis ipse est deus uiuens & eternus in secula. & regnum eius non dissipabitur. & po
.vi. testas eius usque in eternum. Sexta. qua compugnantibus quatuor uentis celi.
& quatuor bestiis ascendentibus de mari. post illas tandem cum nubibus celi
quasi filius hominis uenit. & usque ad antiquum dierum peruenit. & in conspectu
.vii. eius obtulerunt eum. & dedit ei potestatem. & honorem. & regnum. & omnes populi
tribus & lingue ipsi seruient. Septima qua destruendum esse peccati
regnum super ueniente regno iusticie xpi. manifestius edocetur oraculo
huiusmodi. Septuaginta ebdomades ad breuiate sunt super populum tuum.
& super urbem sanctam tuam. ut consumetur preuaricatio. & finem accipiat pec
catum. & deleatur iniquitas. & adducatur iusticia sempiterna. & impleatur
uisio & prophetia & ungatur sanctus sanctorum. Hic quoque paulisper immoremur. & quamquam
.ii. nota replicantes. laudem & gloriam xpi sine fastidio predicemus ii.